Constantino Hugenio
C. Barlaeus S. P. D.

Stupui, cum legerem versiculos illos tuos, carminis mei interpretes,
et qui editi nuper mihi placuerant, iam displicere coeperunt. Fateor
aliter sues, aliter catulos olere, et multum a viburnis differre cupressos.
Ex pauculis istis filamentis tuis facile coniicere potui, quale totum
ὕφασμα futurum fuisset, si pertexuisses. quod ut fiat, petere non ausim:
tum quod sciam gravioribus te et magis seriis distringi, tum quod
indignus sim, cuius panno insignis tua superinducatur purpura.
Vis, Hugeni amplissime, ut candidus impertiar, quae per otium
mihi excidere solent. Ecce, iterum Andria aliquid apportat novi.
Seria non mitto, sed ludicra & festiva, nuptialia volebam dicere,
a quibus abesse debet ambitiose tristis oratio. Non sic, ut est
apud Petronium legere, piratas cum catenis in littore stantes, non
tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum
capita praecidant, non flebile Iphigeniae fatum, sed molles et
ridiculas philosophi allusiones et allegoricos sensus ad amores trans-
latos. Officium boni oratoris esse de rebus gravibus graviter,
humilibus humiliter dicere. Non cuivis pedi quilibet quadrat
calceus, nec cuivis argumento convenit circumductus & elaboratus
sermo. Cum haec scribere coepi, coepi ridere, et ridendo
progressus in risus desii. In nuptiis grandia loqui velle
plus quam ridiculum fuerit. Annon piscatores cum hamo appen-
dere solent escam, quam sciunt appetituros pisciculos? Plus
laboris impendi in describendo, quam scribendo. Et licet non
soleam meis subscribere superbum illud: Ex tempore, apud
te tamen profiteri audeo, extemporaneum hunc esse discursum.
Nec mirum, cum nervis careat, et ossibus. Mitto exemplaria
aliquot, quae velim iis per familiam distribuas, quibus
mea impertiri soleo. Viris gravibus D. Catsio, Hoofdo,
Scotto vix mittere ausim. Quid si tamen mittas? etiam
D. Doubletio, et D. Kinschotio, quis meliore luto finxit
praecordia Titan. Vale Vir praestantissime et
uxori a me salutem plurimam dicas velim. Amstelodami
~~[illegible]~~ VIII Id. Feb. CIƆIƆCXXX.

B.

Nobilissimo viro D. Mylio velim
tradi exemplaria sex, una cum litteris.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

Dis mijn heer
mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder Secretaris van sijn Hoocheit
woonende in de middelste houtstraet

Hage

Port
7. Feb. 30.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489